

loquendo ita dicendum est, si præcise sistamus in ratione tacitæ dispensationis, quia in omnibus est eadem ratio; nam in omnibus supponitur potestas dispensandi, et est eadem præsumptio voluntatis, et nulli Prælati est præscripta in jure certa forma dispensandi, neque etiam ut per verba expressa dispensent.

14. *Status quæstionis magis aperitur.* — Ut autem hæc ratio declaretur, advertendum est aliud esse tractare quo signo debeat voluntas dispensantis indicari ut ad dispensandum sufficiat, aliud vero quæ conditiones debeant concurrere ut illa voluntas sit efficax: hic enim non hoc posterius agimus, sed illud tantum prius. Unde, licet verum sit ad dispensandum in jure superioris esse necessariam justam causam, et sine illa non esse validam dispensationem, ut infra trademus, tamen hæc differentia impertinens est ad quæstionem de tacita dispensatione quam tractamus; quia et tacita dispensatio potest fieri ex justa causa, tam in lege superioris quam in propria seu juris æqualis, ut sic dicam, et e converso expressa dispensatio potest dari sine justa causa, et tunc etiam erit nulla si ab inferiori detur in lege superioris. Et confirmatur, quia si dispensatio tacita non posset esse ex justa causa, nunquam præsumeretur etiam in supremo principe, quia consequenter præsumeretur concedi sine justa causa, et sic in ea præsumeretur peccatum, quod admittendum non est, maxime quando non est necessarium ad vitandum majus peccatum, ut hic esse potest. Potest ergo dispensatio esse tacita et ex justa causa; ergo potest esse in inferiori, etiam in lege superioris. Tunc enim optime procedit ratio facta, quod in eo non deest potestas ad dispensandum absolute, ut supponitur, et indicium tacitæ voluntatis esse potest idem vel æquale, nec præsumitur peccatum, quia potest talis dispensatio esse ex justa causa, et consequenter justa et valida quantum est ex parte causæ. Nec etiam est invalida ex defectu formæ, quia nulla est præscripta in jure, etiam pro inferioribus dispensantibus; nec etiam invenitur eis præceptum ut per verba expressa dispensent, sed oppositum potius invenitur per argumentum a contrario sensu in cap. 2 de Bigam.

15. Dices, aliud esse dispensare ex justa causa, aliud dispensare cum cognitione causæ, et illud prius posse optime simul esse cum dispensatione tacita, non vero hoc posterius. Quia cognitio causæ requirit ut juridice inquiretur et constet intercedere sufficientem causam ad dispensandum, cum decreto seu sen-

tentia de sufficientia causæ. Quod videtur significasse Angel. verb. *Dispensatio*, n. 12, dum ait requiri causam esse notam Prælati tanquam judici. Quando autem hæc cognitio præmittitur, satis expresse significatur voluntas dispensandi, quæ significatio consummari potest per aliquod factum postea subsecutum; et ideo licet postea non interponatur verbum dispensandi, censebitur expressa dispensatio. In inferioribus autem requiritur ut dispensent non solum ex justa causa, sed etiam ex causæ cognitione, maxime quando dispensant in jure communi seu superioris, et ideo non possunt in eo nisi expresse dispensare.

16. *Quæ cognitio causæ sufficit in foro externo.* — Sed hoc etiam non satisfacit; nam imprimis in foro conscientie non est necessaria illa juridica cognitio causæ, sed satis est quod subsit justa causa quæ dispensanti quomodocumque nota sit. Imo subdito satis erit quod bona fide procedat, et præsumat superiorem suum juste procedere et habere justam causam, quando non habet fundamentum contrarium existimandi: quin etiam in dubio potest suam conscientiam deponere; secus vero esset si illi constaret nullam subesse justam causam, quod tamen totum æque locum habet in expressa ac in tacita dispensatione. Deinde etiam quoad forum externum existimo satis esse causam esse notam Prælati, ut homini, ut asseruit Sylv., verbo *Dispensatio*, in fin., cum Bart. in l. *Barbarius*, ff. de Offic. Prætor., n. 8, quia nulla ratione probatur esse necessarium ad valorem dispensationis ut procedat illa juridica examinatio et cognitio causæ. Quamvis enim verum sit in illo foro non fore admittendam talem dispensationem, nisi legitime probetur ex causa justa esse concessam, nihilominus si post factum hoc probetur, sufficiens esse videtur ut sit valida etiam in illo foro. Ergo, absolute loquendo, qui potest dispensare expresse, potest etiam tacite, si in reliquis necessaria concurrant.

17. *Duplex modus quibus tacita dispensatio colligatur.* — Jam vero explicandum superest (in quo major difficultas consistit) quibus modis vel signis hæc tacita dispensatio sufficienter præsumatur, ita ut conscientie dispensati satisfacere possit, illam quietam et pacificam reddendo, et in foro etiam externo admittenda sit, si legitime probetur. In quo duo modi hujus tacitæ dispensationis tradi solent. Unus est per scientiam et patientiam Prælati rationabilem (ut aliqui loquuntur). Hic ergo modus contingit quando Prælati vidente subditus

contra legem operatur, verbi gratia, matrimonium contrahit impedimentum habens, vel quid simile, et superior non impedit nec contradicit, cum facile posset, sed tolerat; tunc enim consentire præsumitur dispensando. Ratio est, quia præsumitur id permittere sine peccato suo et subditi, quoad fieri possit; at si non taceret ex voluntate dispensandi, et subditus peccaret, ut constat, et ipse etiam peccaret contra officium suum, cum teneatur subditum corripere, ac impedire ne frangat legem; ergo illud est sufficiens signum tacitæ dispensationis. Et confirmatur, quia illa taciturnitas est quædam ratihabitio de præsentibus, quæ mandato comparatur, ut dicitur in cap. *Ratihabitio*, de Regul. jur., in 6. Et ideo sufficit etiam ad delegandam jurisdictionem et ad alios similes actus, ut multi opinantur quos refert et sequitur Sanci., lib. 3 de Matrimon., disp. 35, n. 20; ergo multo magis ad dispensandum sufficit. Accedit etiam regula 43 juris in 6: *Qui tacet consentire videtur*; nam habet locum in eo ad quem spectat ex officio non tacere, nisi consentiat et approbet factum; ergo, etc. Atque hoc signum et genus tacitæ dispensationis admittunt simpliciter et sine distinctione Palud. et Anton., et indicant Nav. et Azor.; et idem sumitur ex Panor. in c. *Quia circa*, de Consang. et affinit., in fine, ubi ex illo textu id colligit, quamvis possit etiam aliter exponi. Idem Panorm. lib. 2 Consilior., cons. 55, n. 5, et Alex., l. 2 Consilior., in 4, in fine.

18. Nihilominus contrarium sentiunt communiter canonistæ cum Innoc. et Hostiens. in c. *Veniens*, de Filiis Presb., et Gloss. in Clement. unic. de Sentent. excom., verb. *Approbamus*, quam communiter sequuntur his locis Panorm., Anton., Cardinal. et Imol., et fere alii, et Felin. in c. *Gratum*, de Offic. deleg., n. 9, et in c. *Præterea*, de Testib. cog., n. 8; Card. in c. *Olim*, de Censib.; Anton. Gabr., supra, n. 18; Selva, de Benef., p. 3, q. 8, n. 49, et q. 10, n. 25; Menoch., l. 2, præsumpt. 20, n. 32; Sayrus, l. 7. Thes., c. 14, n. 18; et hanc sententiam in simili tenui in 4 t., disp. 26, sect. 1, a n. 13, licet illam non satis explicuerim. Et sumitur ex Glossa cum textu in c. *Cum jamdudum*, de Præben., ibi, *cum multa per patientiam tolerantur*, quæ si deducta fuerint in judicium, exigente justitia non debent tolerari; unde Glossa colligit patientiam Prælati scientis non esse signum consensus nec dispensationis. Facit etiam c. *Super eo*, de Cognat. spiritua., ibi: *In Ecclesia tua dis-*

*simulare poteris, ita quod nec contradicere nec tuum videaris præstare assensum.* Ex quibus colligitur fundamentum hujus sententiæ, quia sola patientia non est sufficiens signum consensus. Nam, licet dicatur quis consentire indirecte quando tenetur impedire et non impedit, non tamen inde colligi potest directa voluntas qualis ad dispensandum requiritur, et hoc est quod canonistæ aiunt, *illa quæ tantum in patiando consistunt, non esse sufficiens signum dispensationis quæ actum positivum requirit.*

19. *Tertius ratihabitionis modus non est sufficiens.* — In hoc puncto distingui solet triplex ratihabitio, de futuro, præterito, et præsentibus. Prima est per solam præsumptam voluntatem seu dispensationem Prælati, ita ut, quando subditus contra legem operatur, Prælati nihil sciat aut velit, sed credatur postea consensus cum sciverit, et quod, si nunc consuli posset, dispensaret. De præsentibus dicitur præsumptus consensus, vel ratihabitio, quando Prælati est præsens actioni quæ fit contra legem, et tacet. De præterito autem erit si præcessit tacitus consensus in actum postea futurum, et retractatus non est. Verumtamen si quis recte attendat, hic tertius modus in præsentibus locum non habet, nisi prius de præsentibus decesserit et liquerit dispensationem validam, etiam pro actibus futuris. Quia, licet scientia esse possit de actu præterito, taciturnitas proprie non est nisi de actu præsentibus, qui potest impediri: nam præteritus actus non potest; sed ad summum potest non puniri, quod non est signum dispensationis in ordine ad futuros actus, ut per se notum est. Circa actum ergo præteritum secundum se non est tolerantia voluntaria, sed necessaria, et ita non est signum consensus, nec etiam talis actus secundum se dispensationis est capax: nam si fuit contra legem non potest non fuisse, poterit autem dispensari quoad poenam, et sic cadet dispensatio in aliquid præsens vel futurum; si vero dicatur ex taciturnitate in aliquo actu præterito quando fuit præsens, induci dispensationem in ordine ad sequentes actus similes, et illa dicatur ratihabitio de præterito, jam hæc reducitur ad aliam de præsentibus, et ideo ex illa pendet, ut videbimus.

20. *Insufficiencia primi ratihabitionis modi ostenditur.* — *Differentia inter simplicem facultatem, et dispensationem.* — Præterea, de prima ratihabitione de futuro, certum existimo non sufficere ad propriam dispensationem, neque ad agendum licite contra legem, nisi quan-

do talis est casus ut necessitas cogat, censeaturque locum habere epikia. Ratio est quia quamdiu obligatio legis per se non cessat ratione occurrentis necessitatis vel occasionis, durat donec per voluntatem superioris auferatur; per voluntatem autem præsumptam in futurum non aufertur de præsentis obligatio; ergo non satis est ad operandum contra legem. Quæ ratione alibi dixi (et est communis sententia) hujusmodi ratihibitionem de futuro non esse satis ad actus jurisdictionis in præsentis exercendos. Sicut etiam e contrario, præceptum præsumptum in futurum, vel sub conditione quod si superior adesset prohiberet, non satis est in rigore ad inducendam præcepti obligationem. Unde in hoc invenio differentiam inter simplicem facultatem et propriam dispensationem, quod in illa interdum sufficit voluntas præsumpta ad licite operandum; quomodo dicunt communiter auctores non agere contra paupertatem religiosum dantem aliquid ex voluntate præsumpta superioris, quando non potest facile obtinere expressam, quod tamen in dispensatione non admittimus; et ratio differentie est quia ibi actio non est simpliciter prohibita, sed solum ut non fiat absque superioris voluntate, quæ conditio extenditur ad voluntatem præsumptam ex communi usu et prudenti ratione. Hic autem actio supponitur absolute prohibita, et ob eam rationem mala, et ideo de præsentis necessaria est aliqua voluntas quæ prohibitionem et consequenter malitiam auferat.

21. *Secunda sententia in foro exteriori probabilior.*—Igitur opiniones propositæ de ratihibitione seu tacito consensu, de præsentis loquuntur. Inter quas posterior videtur maxime procedere in foro exteriori, in quo majorem profecto videtur probabilitatem habere, et secundum eam omnino judicandum esse moraliter ac regulariter loquendo; tum quia est valde communis inter graviores juris interpretes, quorum auctoritas in illo foro præferenda est; tum etiam quia illa præsumptio in nullo jure fundata est, imo aliqua jura non parum illam diminuunt, ut ex allegatis constat, et ex Clement. ult. de Sentent. excommun.; tum denique quia ipsum iudicium taciturnitatis Prælati videntis factum est valde incertum, et de se solum indicat permissionem, non consensum. Et sæpe potest illa permissio esse sine peccato Prælati, quia ita se gerit ad vitandum majus malum, vel propter indispositionem quam in subdito timet, vel propter scandalum aliorum, quando factum est publicum, vel quia

aliud grave nocendum timet. Sæpe etiam potest esse illa permissio ex quadam negligentia et nimia conniventia Prælati, vel ex pusillanimitate nimia; et ideo licet superior non excusetur a culpa, non ideo præsumitur dispensatio, quia fortasse major esset culpa ita temere dispensare. Quod maxime habet locum quando dispensatio esse deberet in aliquo defectu permanente, ut in irregularitate, vel alio simili. Est enim incredibile, propterea quod Episcopus sciat subditum irregularem celebrare et dissimulet, statim præsumi dispensare cum illo in irregularitate, etiamsi alias possit; nisi ex aliis certioribus conjecturis de illius voluntate et justa causa dispensandi constet, quæ conjecturæ in foro exteriori difficillime probari possunt, et fortasse non admittuntur.

22. *Prima sententia in foro interno cum moderamine non est rejicienda.*—At vero in foro conscientie non censeo esse omnino rejiciendam priorem sententiam, dummodo prudenter limitetur. Nam sola taciturnitas dicta nunquam videtur mihi sufficiens indicium voluntatis positivæ dispensandi propter discursum factum. Si tamen aliæ circumstantiæ adjuvantur, posset consummari præsumptio, ut si causa dispensandi tum subdito et superiori sigillatim quam alteri de altero invicem nota esset, et intercederet aliqua occasio justa non petendi expressum consensum, et ex consuetudine inter subditum et superiorem præsumi prudenter possit talis voluntas superioris. In quo est maxime advertendum pro conscientie foro, ut subditus in eo casu honeste operetur, necessarium esse ut ante factum præsumat secum esse dispensatum; nemo enim potest honeste operari contra legem spe futuræ dispensationis, sed necessarium est ut præcedat notitia dispensationis, ut infra in materia de Privileg. latius dicemus. Ergo impossibile est quod hæc dispensatio tacita fundetur in scientia et patientia operis jam facti, alioqui jam esset factum opus ante dispensationem; ergo cum peccato esset factum; ergo ex illo nulla conjectura sumi potest dispensationis; oportet ergo ut antequam subditus inchoet opus habeat rationes alias præsumendi Prælatum præsentem esse contentum, et tacite secum dispensare ut tale opus faciat. Unde etiam colligo hanc præsumptionem non esse extendendam ultra opus illud quod fit coram Prælato; nam, licet in illo censeatur dispensare, non ideo censetur tacite dispensare ad similia, nisi forte tanta sit consuetudo ut intelligatur concessa perpetua dispensatio et quasi privilegium, ut

infra suo loco dicitur. Quocirca si talis esset dispensatio ut non posset dari pro actu præsentis, nisi habitando personam in futurum ad similes actus, ut de irregularitate dixi, tunc difficilior erit præsumptio, et vix potest dari licentia utendi postea tali dispensatione tacita, non requiringo expressam declarationem voluntatis Prælati, cum possit facile fieri.

23. *Secundus modus tacite dispensationis.*—Alius modus tacite dispensationis est, quando superior ex certa scientia aliquid præcipit vel concedit subdito, quod sine dispensatione fieri aut valere non potest; ut si Pontifex det beneficium alicui quem scit esse irregularem, vel si præcipiat comedere carnes die prohibito. Ita docent Innocent., Hostiens., Panormit. et alii in locis citatis, et hunc solum modum posuit Rebuff. in dicto titul. Dispensat., a n. 5, ubi alios allegat; et Anton. Gabr. et alii supra allegati. Et colligitur ex leg. *Quidam*, ff. de Re judic., ibi: *Princeps enim qui illi dignitatem dedit, omnia genere decrevit.* Idem in l. *Barbarius*, ff. de Offic. Prætor. Ratio est, quia princeps non præcipit repugnantia, nec præsumitur præcipere iniquitatem vel facere actum invalidum; ergo intelligitur concedendo aut præcipiendo tollere impedimentum. Et ita hæc conjectura est multo efficacior quam præcedens, quia hæc requirit actum positivum qui virtute includit alium: nam qui introducit formam censetur præmittere dispositiones, et qui dat potestatem dat omnia necessaria ad illam; unde ita est hæc dispensatio tacita ut possit dici virtualis, quod non ita est in præcedenti indicio. Et hæc rationes procedunt de quolibet Prælato potente dispensare, sicut de supremo principe, neque invenitur in hac parte specialis prohibitio, et ideo necessarium non est inter eos distinguere, ut supra dixi.

24. Oportet autem Prælatum procedere in eo actu ex certa scientia defectus seu vinculi in quo tacite dispensat, quia si illud ignoret non poterit voluntas ad illud tollendum extendi, quia voluntas non fertur in incognitum, et ita etiam cessabit dispensatio, quæ sine voluntate esse non posset. Dubitant autem doctores quomodo constare debeat de hac scientia principis dispensantis. Verumtamen quod attinet ad conscientie forum, satis est quod quacumque ratione constet ipsi dispensato, ut quia ipsemet defectum aperuit Prælato, vel quia certo sciebat illi esse notum. Quia in foro conscientie veritas attenditur, non præsumptio, nec requiritur scriptura vel aliquid simile. In foro autem exteriori incumbet ei qui dispen-

sationem tacitam allegat probare Prælatum ex certa scientia processisse, quia est scientia facti quæ ordinarie non præsumitur, ut docet Felin. in cap. *Præterea*, de Testibus cogen., n. 9, cum aliis. Quod maxime verum censeo de principe, qui nec tenetur nec potest facta subditorum nosse, juxta cap. 1 de Constitut., in 6. In Episcopo autem aut Prælati particularibus, qui ex officio tenentur scire vitam subditorum, contrarium fortasse dicendum esset, quia in facto alieno quod quis indagare tenetur præsumitur scientia, ut tradit Abb. in c. *Innotuit*, de Elect., n. 9, quod ex textu ibi, et Gloss. colligit, et ex c. penult. extra de Regul. juris, ubi dicitur: *Non potest esse pastoris excusatio, si lupus oves comedit, pastor nescit.* Sed censeo verum respectu ipsius pastoris; nam si ipse se excuset, tenebitur probare ignorantiam inculpabilem, alias præsumitur in eo scientia vel saltem negligentia. Unde non est cur præsumatur scientia in Prælato respectu subditi allegantis dispensationem, quia simpliciter est res facti quæ facile ignoratur, sive absque culpa sive cum illa, parum enim id in præsentis refert. Maxime quia dispensatio odiosa est et restringenda, et ideo etiam non præsumitur, nisi probetur, ut Panorm. etiam tradit in dicto cap. *Præterea*.

25. Dubitant autem ulterius juristæ de modo probationis hujus scientie, an, scilicet, necessarium sit ut de illa constet ex narratis in ipso indulto dispensationis, vel ex clausula *Ex certa scientia* in illo posita, vel admittatur aliud genus probationis, si hæc deficient. De quo dubio, quia ad nos non spectat, videri possunt auctores allegati in principio hujus puncti. Mihi tamen videtur non esse necessarium ut ex instrumento dispensationis constet, sed sufficere ut alia ratione sufficienter probetur per testes, vel alio modo, quæ est etiam communior sententia; et ratio est, quia nullum est jus quod restringat probationem ad scripturam indulti seu dispensationis. Imo infra de privilegio dicemus totum privilegium posse probari per testes, si scriptura sit amissa; ergo idem est in dispensatione. Nec etiam hæc conditio scientie in principe est tam occulta ut non possit per testes, vel ex rei notorietate probari. Plura de hoc puncto videri possunt in Sancio supra; nam accurate illud disputat.